

IOANNIS SCHÖ  
NERI CAROLOSTADII,  
FRANCI, MATHEMATICI, DE CON  
structione Torqueti Dogmata VI.

DOGMA PRIMVM.

Duas quadrangulares tabulas, unamq̄z circularem unā  
cum triangulo eleuationis Aequinoctialis, pro constru  
ctione Torqueti præparare.



**P**RIMVM duæ tibi conficiendæ sunt tabulæ, ut  
uocant, Quadrangulares, quæ superficierū sint  
planissimarum. Facies autem uel ex metallo ali  
quo solido, uel ex ligno quopiam, quod iam lon  
go situ soliditatem induit, quarū unam quidem  
inferne collocabis, quæ fundamentum Torqueti, siue tabella  
Horizontalis appellari poterit. Sitq̄z hæc paulo maior, puta ad  
digitos duos aut tres, quàm ea quæ superne collocanda fuerit,  
Quin & lineam quandam per medium Horizontalis tabulæ  
ducere oportet, quæ recta tibi Meridianam repræsentabit line  
am. Deinde quas sic operatus es tabulas, inuicem, instar horo  
logiorum, quæ uulgo Compassas uocamus, uel alia quapiam &  
ad hoc idonea inuentione, coniunge. Deinde uero superficies  
eius, quæ superne posita est, tabulæ, excauanda uenit circularim,  
hoc est, ut dicitur, orbiculariter, sic tamen ut limbus siue margo  
eminentia sua superet excauationem. Qui quidem deinde lim  
bus, Aequinoctialis uocabitur ambitus, Quod cum factum fu  
erit, alia eiusdem materiæ præparetur tabula, quæ priorem ex  
cauationem æquè expleat, quæq̄ nullum orbicularis uolutio  
nis suæ recipiat impedimētum: conueniatq̄ superficies eius ex  
e ij æquo